

Universitätsbibliothek Wuppertal

Orationvm Marci Tvl. Ciceronis

Accesserunt breues animaduersiones ex doctissimorum hominum
commentariis, quibus ita loci permulti explicantur, vt vulgo receptæ
lectionis vbique ratio habeatur

Cicero, Marcus Tullius

Lvgdvni, 1586

Oratio LV: In M. Antonium Philippica XIII.

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-343](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:468-1-343)

rate reip. nimis feroceſ, & ad ſuam uim omnia noſtra conſilia reuocanteſ. Horum ergo cogitationem non uereor, imperium per timere. Hac quoque pericula tanta ſi effagero, ſatiſne tutum rediū putatis fore? Cum enīm & uestra auſtoritate, & meo me more deſendero, & meam fidē recipi, conſtantiamq; trāſlitero, ſum erunt mihi non hī ſolum, quē me oderant, ſed illi etiam, qui inuident, extimescendi. Cuſto diatur igitur mea uita reipub. eaq; quo ad uel dignitas, uel natura patietur, patria reſerueretur: mors aut neceſſu atem habeat ſati: aut, ſi ante oppetenda eſt, oppetatur cū gloria. Hac cum ita ſint, etiā bāc legationē reſp. ut ſeniffime dicam, non deſiderat; tamē ſit uito licebit ire, proficisci. omnino, P.C. totum buiſſe rei conſiliū non periculo nico, ſed utilitate reip. metiar. de qua mihi quenam liberum iſſipatium, multum etiam, atq; etiam conſiderandū puto: idq; potiſſimum faciendū, qua maxime intreſſere ip. iudicauero.



IN M. ANTONIVM

P. 246.

PHILIPPICA XIII.

ORATIO LV.



Principio huius bellī, P. C. quod cum impīis ciabib, conſeleratq; ſuſcepimus, timū ne condicio inſidiosa pacis, libertatis recuperandæ ſtudia reſtingueret. dulce enim etiam uomen eſt pacis: reſiſtereo ipſa cum incunda, tum ſalutaris. Nam nec priuatos focos, nec publicas leges, nec libertatis iura cara habere potest, quem discordia, quem caedes ciuium, quem bellum ciuile deleſtat: eumq; ex numero homi-

num euiciendis, ex finibus humanae naturae exterminandum puto. Itaque siue Sulla, siue Marius, siue uterque siue Octavius, siue Cimna, siue iterum Sulla, siue alter Marius, & Carbo, siue quis alius ciuile bellum optauit, cum detestabilem ciuem reip. natum iudico. Nam quid ego de proximo dicam? cuius alia defendimus, auctorem ipsum iure casum fatemur. Nihil igitur hoc ciue, nihil hoc homine patrius: si aut ciuis, an homo habendus est, qui ciuile bellum concupiscit. Sed hoc primus uidendum est, P.C. cum omnibusne pax esse possit, an sit aliquod bellum inexpiable, in quo pactio pacis, lex sit seruitutis. Pacem cum Scipione Sulla siue faciebat, siue simulabat, non erat desperandum, si conuenisset, fore aliquę tolerabilem statum ciuitatis, Cimna, si concordiam cum Octauiio confirmare voluisse, * omnino in rep. sanitas remanere potuisse. Proximo bello si aliiquid de summa gravitate Pompeius, multum de cupiditate Caesar remisisset, & pacem stabilem, & aliquam remp. nobis habere licuisse. hoc uero quid est? cum Antonii pax potest esse? cum Censorino, Ventidio, T. ebellio, Bestia, Nucula Munitio, Lentone, Saxa? exempli caussa paucos nominauit: genus infinitum, immanitatemq; ipsi cernitis reliquorum. addite illa naufragia Cesaris amicorum, Barbas, Cassios, Barbarios, Polliones: addite Antonij collusores, & sodales, Eutrapelum, Melam, Cœlum, Pontium, Crassicum, Tironem, Mustelam, Petissum: comitatum relinquo, duces nominio. buc accedunt Alauda, ceteriq; veterani, seminarium iudicum tertiae decuriae: qui, suis rebus exhaustis, beneficis Cesaris deuoratis, fortunas nostras cōcupinerunt. O fidam dexterā Antonij, qua ille plurimos ciues trucidauit, o ratum, religiosumq; fœdus, quod cū Antonio fecerimus! hoc si Marcus violare conabitur, Lucij cum sanctitatis à scelere

B.P.

rcuo

reuocabit. Illis locus si in hac urbe fuerit, urbi ipsi locus
 non erit. Ora uobis eorum ponite ante oculos, & maxime
 Antoniorum incessum aspectum, uultum, spiritum, latera
 tegentes alios, sequentes alios, alios prægredientes amicos.
 quæ uini anhelitus? quas contumelias fore censem, minasq;
 uerborum? nisi forte eos pax ipsa leniet, maximeq; cum in
 bunc ordinem uenerint, salutabunt benigne, comiter appellabunt
 unumquemq; nostrum. Non recordamini, per deos
 immortales, quas in eos sententias dixeritis: abba M. Auto
 nij rescidisti: leges refixisti: per uim, & contra auspicia
 latas decreuisti: totius Italiae delectus excitasti: collega
 & socium scelerum onus, hostem iudicauisti: cum hoc
 quæ pax potest esse? hostis si esset externus, tamen id ipsum
 uix, talibus factis, posset aliquo modo sed, si maria, montes,
 regionum magnitudines interesserent, *odissetis eum, quem
 non uideretis. hi in oculis haerebunt, & cum licebit, in fau-
 cibus quibus enim septis tam immanes belluas continebi-
 mus. At incertus exitus belli est. Est omnino fortium uiro-
 rum, quales uos esse debetis, uirtute prestatre tantum, ut
 possint fortunæ culpam nō extimescere. sed, quoniā ab hoc
 ordine non fortitudo solum, uerum etiam sapientia postu-
 latur: quamquam uix uidetur hæc posse seiungi, seiungamus
 tamen fortitudo dimicare iubet, iustum odū incendit,
 ad configendum impellit, uocat ad periculum. Quid sapien-
 tia? cautoribus utitur consiliis: in posterum prouidet: est
 omniratiōne teclitor. quid igitur censem? parendū est enim:
 atq; id optimum iudicandum, quod sit sapientissime consti-
 tutum. si hoc præcipit, ne quid uitia existimem antiquius,
 ne decernam capitis periculo, fugiā omne discriminē: querā
 ex ea, etiamne, si erit, cum id fecero, seruendum. si annue-
 rit, nā ego istam sapientiam, quamvis sit erudita, non au-
 rit.

P. 247.

diam, si responderit, Tu uero ita uitam, corpusq; servato,
ita forunas, iū a rem familiarē, ut hac libertate posteriora
ducas: itaq; his uti uelis, si libera rep. possis: nec pro his li-
bertatem, sed pro libertate hac prouicias, tamquā pignora
inuria, tum sapientia uocem audire uidear, eique uti deo,
paream: Itaq; si, receptis illis, esse possumus liberi, uincamus
odīū, pacemq; patiamur. si in illum, in columbus his
esse nullum potest. Atemur de certandi oblatam esse fortu-
nam, aut enim illis interfectis, fruemur uictoriei pub. aut
oppressa (quod omen auertat Iupiter) Si non spiritu, at uirtu-
tis laude uiuetus. At enim nos M. Lepidus imperator
iterum, pontifex maximus, optime proximo ciuili bello de-
rep. meritus ad pacē adhortauit. Nullius apud me, patres
conscripti, auctoritas maior est, quam M. Lepidi, uel pro-
pter ipsius uirtutem, uel propter familiae dignitatem. Ac-
cedit eodem multa priuata, magna eius in me merita, mea
quædam officia in illum, maximū uero eius beneficium nu-
mero, quod hoc animo in rem. est, quæ mibi uitia mea sem-
per fuit carior. Nam, cum Magnum Pompeiū clarissimum
adolescentem præstantissimi uiri filium auctoritate adduxit
ad pacem, remq; publicam sine armis maximo ciuilis
belli periculo liberauit, tum me eius beneficio plus quam
pro virili parte obligatum puto. Itaque & bono: es ei de-
creui, quos potius amplissimos: in quibus uos mihi estis af-
fensi: nec umquā de illo & sperare optime, & loqui destiti.
magnis, & multis pignoribus M. Lepidum resp. illigatum
tenet. summa nobilitas est hominis, summi honores, am-
plissimum sacerdotium, plurima urbis ornamenta. ipsius,
fratrio, maiorumq; monumenta, probatissima uxor, opta-
tissimiliberi, res familiaris cum ampla, tum casta à ciuili.
nemo ab eo ciuili violatus, multi beneficie, & miseri-

cor

cordia liberati. Talis igitur vir, & cuius opinione labi potest; voluntate a repub. dissidere nullo pauci potest. Pacem uult M. Lepidus. praeclare si talem potest effici re, qualem nuper effecit. qua pace Cn. Pompeij filium respub. aspiriet; suoq; sinu, complexuq; recipiet: neque solum illum, sed cum illo seipsum sibi restitutum putabit. Hæc causa fuit, cur decernere tuis statuam in rostris cum inscriptione p̄clarâ: cur absenti triumphum, quamquam enim magnas res bellicas gesserat, & triumpho dignas, non erat tamen ei tribuendum, quod nec L. Aemilio, nec Aemiliano Scipioni, nec superiori Africano, nec Mario, nec Pompeio, qui maiora bella gesserunt: sed, quod silentio ciuile bellum P. 248. confecerat, cum primum licuit, honores in eum maximos contulisti. Existimatne igitur, M. Lepide, qualem Tōpeium respub. habitura sit ciuem, tales futuros in repub. Antonios in altero pudor, grauitas, moderatio, integritas, in illis (& cum hos compello, prætero animo ex grege latrociniū nemire) libidines, scelerata, ad omne facinus immanis audacia. Deinde, obsecro vos, patres conscripti, quis hoc uestrum non uidet, quod fortuna ipsa, quæ dicitur cæca, uidit, saluis enim actis Casaris, quæ concordia causa defendimus, Tōpeio sua dormus patebit: eamq; non minoris, quam emit Antonius, redimet: redimet, inquam, Cn. Pompeij domum filius. O rem acerbam! Sed hæc saisi diu, multumq; defleta sunt. Decreuisti tātam pecuniam Pompeio, quantam ex bonis patrijs in p̄dæ dissipatione inimicus uictor redigisset. sed hanc mibi dispensationem pro paterna necessitudine, & coniunctione deposco. redimet hortos, ædes, urbana quædam, quæ possidet Antonius. nam argētum, uestem, supellectilem * uniuersam amittet a quo animo, quæ ille heluo dissipauit. Albanum, Firmanum, a Do-

labella recuperabit, etiam ab Antonio Tusculanum. hiq;
qui nunc Mutinam oppugnant, D. Brutum obſident, de
Falerno anſeres depellentur. Sunt alij plures fortaffe : sed
mea memoria dilabuntur. ego etiam eos dico, qui boſtium
numero non ſunt, Pompeianas poſſeſſiones, quāti emerint,
filio reddituros ſatis incoſiderati fuit, ne dicam audaciſ-
rem ullam ex illis attingere : retinere uero quis poterit,
clarissimo domino reſtituto? An is non redet, qui do-
mini patrimonium circumplexus, quaſi theſaurum dra-
co, Pompeij ſeruus, libertus Cæſaris, agri Lucani poſſeſſiones
occupauit? Atque illud ſep̄ties millies, quod adoleſcenti, P. C. ſpoſo pondiſtis, ita deſcribite, ut uideatur a no-
biſ Cn. Pompeij filius in patrimonio ſuo collocatus. Hac
ſenatus : reliqua populus Romanus in ea familiā, quam
uidit ampliſſimam perſequetur : in primis paternum au-
guratus locum, in quo ego eum (ut, quod a patre accepi,
filio reddam) mea nominatione cooptabo. Vtrum igitur
augurem Iouis optimi maximi, cuius interpretes, inter-
nuntiique conſtituti ſumus, utrum populus Romanus
libentius ſanciet, Pompeium, an Antonium? mihi qui-
dem numine deorum immortaliū uidetur hoc fortuna
uoluiffe, ut, attis Cæſaris firmis, ac ratis, Cn. Pompeij
filius poſſet & dignitatē, & fortunas patrias recupe-
rare. Ac ne illud quidem silentio, P. C. * prætermittendum
puto, quod clarissimi uiri legati L. Paullus, Q. Thermus,
C. Fannius, quorum habetis cognitam uoluntatem in
rempublicam, eamque perpetuam, atque conſtantem, nū-
tiant, ſe, Pompeij conueniendi cauſa, diuerſiſſe Maſſiliam,
eumque cognouiffe paratissimo animo, ut cum ſuis copijs
iret ad Mutinām, ni ueretur ueteranorum animos of-
fendere. eſt uero eius patris filius, qui ſapienter faciebat
non

non minus multa, quā fortiter. itaque intelligitis, & animum ei praeſto fuſſe; nec conſilium defuſſe. Atq; etiam hoc, M. Lepido prouidēdum eſt, ne quid arrogantius, quam mores eius ferunt, facere uideatur. Si enim nos exercitu terret, non meminit illum exercitum ſenatus, populiq; Ro. atq; uniuersæ reipubl. eſſe, non ſuum. At uti potest pro ſuo. quid tum omniane uiris bonis, quæ facere poſſunt, faciēda ſum? etiamne ſi turpia, ſi pernicioſa erunt, ſi facere omni no non licebit? Quid autem turpia, aut fœdius, aut quod P. 249.
minus deceat, quam contra ſenatū, contra ciues, cōtra pa triam exercitum ducere? quid uero magis uituperandum, quam id facere, quod non liceat, licet autem nemini cōtra patriam ducere exercitum: ſi quidē licere id dicimus, quod legibus, quod more maiorum, i[n]ſtitutisq; conceditur. Neque enim, quod quisq; potest, id ei licet: nec, ſi non obſtatur, propriea etiam permittitur. tibi enim exercitum, Lepide, tā quā maioribus tuis, patria pro ſe dedit: hoc tu arcebis ho ſtem: fines imperij propagabis: ſenatui, populoq; Romano parebis, ſi quā ad alia rem te forte traduxerit. Hac ſi cogi tas, es M. Lepidus pontifex maximus, M. Lepidi pontificis maximi fueris pronepos: ſin hominibus tātum licere iudi cas, quantum poſſunt; uide, ne alienis exēplis, hiſq; recē tibus uti, quam & antiquis, & domeſtici malle uideare. Quod ſi auſtoritatē interponis, ſine armis, magis quidē laudo: ſed uide, ne hoc ipsum nō ſu neceſſe. Quāquam enim eſt tanta in te auſtoritas, quāta debet in homine nobiliffi mo, tamen ſenatus ſe ipſe non contemnit: nec uero fuit um quāgrauior, conſtatior, fortior. incensi omnes rapimur ad libertatem recipere. . . . non potest ullius auſtoritate tanus ſenatus, populique Romani ardor extingui: odi mus: irati pugnamus: extorqueri de manibus arma non

possunt recepi signum, aut revocationem a bello audire
 non possumus: speramus optima, pati uel difficilima ma-
 litia, quam seruire. Casar confecit imitum exercitum:
 duo fortissimi consules adsunt cum co*ījs*: L. Planci cos.
 designauia, & magna auxilia non desunt: de D. Bruti
 salute certatur: unus furiosus gladiator cum t^{er}rimo*ū*
 latronum manu, contra patriā, contra deos penates, cōtra
 aras, & focos, contra quattuor consules gerit bellum. huic
 p. b.
 cedamus: huius condicōes audiatus? cum hoc pacē fieri
 posse credamus? at periculum est, ne opprimantur. Non me-
 tu, ne is, qui suis amplissimis fortunis, nisi nobis saluis,
 frui non potest, prodit salutē suam. benēs cines primā natu-
 ra efficit, adiuuat deinde fortuna. omnibus enim bonis ex-
 pedit saluam esse rēpublicam: sed in ijs, qui fortunati sunt,
 magis id appetat. Quie fortunatior Lepido, ut ante dixi?
 quis eodē senior: uidit eius mastitū; atq; lacrymas popula-
 lis Rom. Lupercalibus: uidit quam abiectus esset, quam cō-
 fectus, cum Cæsari diadema imponens Antonius, seruū se
 illius, quā collegam iſſe malebat: quā si reliquias flagi*ū*, &
 sceleribus se abstinere potuisse: tamen unum ob hoc factū
 dignum illum omni pœna putare. nam, si ipse seruire pote-
 rat, nobis dominū cur imponebat? & si eius pueritia per-
 tulerat libidines eorum, qui erant in eum tyranni; etiamne
 in nostros liberos dominum, & tyranū comparabat? Ita-
 que, illo interfecto, qualem eum in nos esse uoluit, talis ipse
 in ceteros exstigit. quia enim in barbaria quisquā tam tater
 tam crudelis tyranus, quam in hac urbe armis barbarorū
 stipatus Antonius? Cæsare dominante, uenientibus in se-
 natum, si non libere, attamen tuto: hoc archipirat. (quid
 enim dicam tyranū?) hec subcellia ab Ilyreis occupa-
 bantur. Prorupit subito Brundisium, ut inde agmine qua-
 drato

drato ad urbem accederet: lautissimum oppidum, nunc
municipum, honestissimum quondam colonorum, Sue-
sam fortissimorum militum sanguine impletum Brundisij in
suum non modo auarissime, sed etiam crudelissima uxoris
delectos Martia legionis centuriones trucidauit. Inde se
quo furore, quo ardore, ad urbem, id est, ad eadem optimi
cuusq; rapiebat? Quo tempore, dixi ipsi immortales pre-
dium improuisum, nec opinantibus nobis, obtulerunt. Cæ-
sar is enim incredibilis, ac diuina uirtus latronis impetus
tr. deles, ac furibundos retardauit: quem tum ille demens
ledere se putabat edictis, ignorans, quacumq; falso diceret
in sanctissimum adolescentem, ea uere recidere in memo-
riam pueritiae sua. Ingressus urbem est, quo comitatu, uel
potius agmine? cum dextra, sinistra, gemente populo Ro-
minaretur dominis, notaret domos, diuisurum se urbem pa-
lam sua polliceretur. Rediit ad milites, ibi pestifera illa
Tyburi concio. inde ad urbem cursus: senatus in Capito-
lium: parata de circumscribendo adolescente sententia co-
sularis: cum repente (nam Mariam legionem Alba con-
sedisse sciebat) affertur ei de quarta natius, quo percussus,
abiecit consilium referendi ad senatum de Cesare. Egres-
sus est non uis, sed transitibus paludatus. eodemq; die ipso
innumerabilia senatus consilia fecit: quae quidem omnia
ciuius delata, quam scripta sunt. Ex eo non iter, sed cursus,
& fuga in Galliam. Cesarem sequi arbitrabatur cum le-
gione Martia, cum quarta, cum ueteranis, quorum ille no-
me præ metu ferre non poterat: eq; in Galliam penetrati
D. se Brutus obiecit: qui se totius belli flutibus circumiri,
quam illum aut egredi, aut progreedi maluit, Mutinamque
illi exultanti, tamquam fraxenos furoris iniecit, quam cum
operibus, munitionibusque sepsisset, nec eum florentissima

P. B.
 coloniae dignitas, neq; c o s. designati maiestas à paricidio
 deterreret: tum me, testor & nos, & populum Ro. & om-
 nes deos, qui huic urbi præsident, inuitio, & repugnante le-
 gati missi tres cōsulares ad latronē M. Antonium gladiato-
 rum ducem. Quis tam barbarus umquam, tam immanis,
 tam ferus? non audiuit: non respondit: neque eos solum
 præsentis, sed multo magis nos, à quibus illi erant missi,
 spreuit, & pro nibilo putauit. Postea quod scelus, quod fa-
 cinus paricida non edidit: circumfedit colonos uestrros, exer-
 citum populi Romani, imperatorem, c o s. designatum:
 agros diuexat ciuium optimorum: hostis tatem r̄imius om-
 nibus bonis crucis, ac tormenta minitatur. cum hoc, M. Le-
 pide, pax esse quæ potest, cuius ne supplicio quidem ullo
 satiari uidetur posse populus Romanus. Quod si quis ad-
 buc dubitare potuit, quin nullā societas huic ordini, popu-
 loq; Ro. cum illa importunissima bellua possit esse: desinat
 profecto dubitare, bis cognitis litteris, quas mihi missas
 ab Hircio c o s. modo accepi. Eas dum recito, dumq; de sin-
 gulis sententiis breuiter dispueto, uelim, P.C. ut adhuc feci-
 stis, me attente audiatis. ANTONIVS HIRCIO, ET
 CÆSARI. Neq; se imperatorem, neq; Hirciū consulem,
 nec propri. Cæsarem, satis quidem hæc scite. deponere alien-
 ñū nomen ipse maluit, quam illis suū reddere. COGNÍ-
 TA MORTE C. TREBONIIS, NON PLVS
 GAVISVS SVM, QVAM DOLVI. Videte quid
 se gauisum, quid se doluisse dicat: facilias de pace delibera-
 bitis. DEDISSE POENAS SCÉLERATVM
 CINERI, ATQVE OSSIBVS CLARISSIMI
 VIRI, ET APPARVISSE NVMEN DEO-
 RVM INTRA FINEM ANNI VERTENTIS,
 AVT IAM SOLVTO SVPLICIO PAR-
 CIDIIS

CIDII. AVT IMPENDENTE, LAETANDVM
EST. O Spartace, quem enim te potius appelle? cuius pro-
pter nefanda scelera tolerabilis fuisse uidetur Catilina: &
tandū esse ausus es scribere, Treboniū dedisse pœnas? scel-
eratū Trebonium? quo scelerē? nisi quod te idibus Martiis à
debita tibi peste sedaxit? Age hoc letaris: uideamus quid
moleste feras. H O S T E M I V D I C A T U M H O C T E M
P O R E D O L A B E L L A M , E O Q V O D S I C A R I V M
O C C I D E R I T : E T V I D E R I C A R I O R E M P O-
P V L O R O M . F I L I V M . S C V R R A E , Q V A M C.
C A E S A R E M P A T R I A E P A R E N T E M INGE-
M I S C E N D V M E S T . Quid ingemiscis, hostem Dolabellam iudicatum? quid te nō intelligis, delectu tota Italia
habito, consulibus missis, Cesare ornato, sagis deniq; sum-
ptis, hostem iudicatu? quid est autem, scelerate, quod gemas
hostem Dolabellam iudicatum à senatu? quem tu ordinem
omnino esse nullum putas: sed eā tibi caussam belli gerendi
proponis, ut senatum funditus deleas, reliqui boni, & locu-
pletes omnes summū ordine subsequantur. At scurrē filiū
appellat: quasi uero ignotus nobis fuerit splendidus eques
Ro. Trebonij pater. Is autem humilitatem desplicere audet
cuiusquā, qui ex Fadia suslulerit liberos? A C E R B I S S I-
M V M V E R O E S T , T E , A . H I R C I , ORNA-
T V M B E N E F I C I I S C A E S A R I S , E T T A L E M
A B E O R E L I C T V M , Q V A L E M I P S E M I-
R A R I S . E quidem nō gare non possum à Cesare Hircium
ornatū: sed illa ornamenta in uirtute, & industria posita
lucet. tu uero, qui te ab eodem Cesare ornatū negare nō po-
tes, quid esses, si tibi ille nō tā multa tribuisset? ecquo te tua
uirtus prouexisset? ecquo genus? in lustris, popinis, alea, ni-
no tempus etatis omne consumpsisses, ut faciebas, cum in
gremiis

gremiis minarū, mentum, mentemq; d̄poneres. E T T E S,
 O P V E R. Puerū appellat, quem nō modo uirū, sed etiā for-
 tissimū uirū sensit, & sentiet. est istud quidē nomē etatis, sed
 ab eo minime usurpātū, qui suā amēriā puerō huic præbet
 ad gloriā. QVI OMNIA EIVS NOMINI DEBES.
 Debet uero soluitq; præclare, si enim ille patriæ parens est,
 ut tu appellas, ego, quod sentiam, uid̄ ro: cur non hic pars
 uerior, a quo certe uiam habemus, et uis facinorosissimis
 manib; exētam? ID AGERE, VT IVRE DAM-
 NATVS SIT DOLABELLA? Turpem uero accio-
 nē, qua defenditur amplissimi auctoritas ordinis cōtra cru-
 delissimi gladiatoriis amentiam. ET VT VENEFICA
 HAEC LIBERETVR OBSIDIONE Veneficam
 audes appellare eum ui; um, qui iuis ueneficiis remedia in-
 uenit? quē ita obsides, noue Annibal, aut, si quis acutior im-
 perator fuit, ut te ipse obſideas, neq; te iflinc, si cupias, pos-
 sis explicare. receſſe is: undiq; omnes inſequentur. man-
 seſhærebis. n̄ mirū n̄ ēt̄ ueneficā appellas, à quo tibi præ-
 ſentē pefſe uides cōparatā. VT QVAM POTENTIS-
 SIMVS SIT CASSIUS, ATQVE BRVTVS?
 Putes Censoriū dicere, aut Ventidium, aut etiā ipſos An-
 tonios. Cur autē nolint potentes esse non modo optimos, &
 nobilissimos uiros, sed secum etiam in reip. defensione con-
 iunctos? NIMIRVM EODEM MODO HAEC
 ASPICITIS, UT PRIORA. Quæ tandem CASTRA
 POMPEII SENATVM APPELLATIS. An ue-
 ro tua caſtra ſenatum appellaremus? in quibus tues uide
 p. 252. licet consularis, cuius totus consulatus eſt ex omni moni-
 torū memoria reuulfus: duo prætores sine cauſa dif-
 fisiſe aliquid habituros: nos enim Caſaris beneficia defen-
 dimus: prætorij Philadelphus Annus, & innocens Gal-
 lius:

lius: edilitij, Coricus laterum, & uocis meæ Bestia, & si-
 dei patronus: fraudator creditorum Trebellius, & homo
 diruptus, dirutusq; Q. Cætius, columèque amicorum An-
 tonij, Cotyla Varinus: quos Antonius deliciarum cauſa lo-
 ris in coniuio cædi iubebat a seruis publicis: septemvales
 Leto, Nucula: cum delicia, atque amores populi Ro. L. An-
 tonius: tribunij primum duo designati, Tullus Hosilius,
 qui suo iure in porta nomen inscrifti: qui cum prodere
 imperatorem suum non posset, reliquit. alter est designatus,
 Vifenus nescio quis, fortis (ut aiunt) latro: quem tanè iepre-
 rante fuisse ferunt Isauri balneatorè. Sequuntur alij tribu-
 nitij, T. Plancus in primis: qui sisenatù dilexiſſet, nūquam
 curiam incendidit. quo scelere damnatus, in eam urbem re-
 didit armis, a qua excesserat legibus, sed hoc ei cōmune cum
 plurimis dissimilimis, illud tamen uerum, quod in hoc
 Plancus prouerbij loco dici solet, perire cum non posse, nisi
 ei crura fracta essent. fracta sunt, & uiuit. hec tamen, ut
 alia multa, Aquisla fertur accepiū. Eſt etiā ibi Decius ab
 illis, ut opinor, Muribus Decijs. aq; Casaris munire Decio-
 rum quidem multo in eruallo per hunc præclarum uirum
 memoria renouata eſt. Saxam uero Decid'um præterire
 qui possum, hominem deductum ex ultimis gentibus: ut
 eum tribunum pleb. uideremus, quem ciuem nūquam ui-
 deramus, eſt quidem al'er Sacerna, sed omnes tamē tā-
 tabebit similitud: nem inter se, ut in eorum prænomiibus
 erem. Nec uero Exitius Philadelphi frater quæſior præ-
 termittendus eſt; ne, ſi de clarissimo aſoliſſente filiuero, in-
 uidiffe uidear Antonio. Eſt etiam Asinus quidam ſenator
 uoluntarius, lectus ipſe a ſe, apertam curiam uidit post Cæ-
 saris mortem: mutauit calceos: pater coſcriptus repete fa-
 cias eſt. Non noui Sext. Albedū: ſed tamē uemincit tar-
 ma

maledicūm offendī, qui illū negaret dignū Antonij senatu.
 Arbitrō me aliquos præteriisse: de ijs tamen, qui occurre-
 bant, tacere non potui. hoc igitur fretus senatu, Pōpeianū
 senatū despicit: in quo decē fuimus consulaires: qui si omnes
 uiuerent, bellum omnino hoc non fuisset: auktoritati cessis-
 set audacia, sed quātūm præsidij fuerit in ceteris, hinc intel-
 ligi potest, quod ego unus relietus e multis, contudi, & fregi
 adiuuātibus uobis, exultantis prædonis audaciam. Quod si
 fortuna nobis modo nō eripuissest Ser. Sulpitium, eiusq; col-
 legā ante M. Marcellūm, quos ciues? quos uiros? si duos cō-
 sules amicissimos patriæ, simul ex Italia eie ctos: si L. Afran-
 ium summū ducem: si P. Lentulum ciuem cum in ceteris
 rebus, tum in salute mea singularem: si Biblūtū, cuius est in
 rempub. merito semper laudata cōstantia: si L. Domitium
 præstantissimum ciuem: si App. Claudium pari nobilitate
 & uoluntate præditum: si P. Scipionem clarissimum uirū,
 maiorumq; suorum simillimum resp. tenere potuissest: certe
 his consularibus non esset Pompeianus despiciēdus sena-
 tus. Vtrum igitur æquius, utrum melius reip. fuit, Cn. Pō-
 peium, an sectorem Cn. Pompeij uiuere Antonium? Qui
 uero prætorij? quorum princeps M. Cato, idemque omnium
 gentium uirtute princeps. Quid reliquos præclarissimos
 uiros commemorem? nostis omnes. magis uereor, ne longū
 me in enumerando, quā ne ingratum in prætereundo pute-
 tis, qui ad litij? qui tribunitij? qui quaestorij? quid multa stā-
 lis senatorum & dignitas, & multitudo fuit, ut magna
 excusatione opus ijs sit, qui in illa castra non uenerunt.
 Nunc reliqua attendite. VICTVM CICERONEM
 DVCEM * HABVISTIS. Eo libentius ducem audio
 quod certe ille dicit inuitus. nam de uicto nihil laboreo.
 fatum enim meum est, sine repub. nec uinci posse, nec uin-
 cere.

cere. MACEDONIAM MVNITIS EXERCITIBVS. Et quidem fratri tuo, qui a uobis nihil degenerat, extorsimus. AFRICAM COMMISSISTIS VAROBIS CAPTO. Hic cum C. fratre putat se litigare. IN SYRIAM CASSIVM MISISTIS. Non igitur sentis, huic causa orhem terrae parere? te extra munitiones tuas, uestigium ubi imprimas, non habere? CASCAM TRIBVNATVM GERERE PASSI ESTIS. Quid ergo ut Marullum, ut Caſtium a repub. remoueremus, eum, per quem, ut neq; idem hoc posthac, neq; multa huinſmodi accidere posſent, consecutifimus? VECTIGALIA IVLIANA LVPERCIS ADEMISTIS Lupercorum mentionem facere audet? neq; illius diei memoriam perhorrescit, quo ausus est obrutus uino, unguentis oblitus, nudus gementem populum Rom. ad seruitutem cohortari? VETERANORVM COLONIAS DEDVCTAS LEGE, ET SENATVS CONSULTO SVSTVLISTIS. Nos sustulimus? an contra lege comitijs ceteri uratis lata sanximus? uide, me tu veteranos P. B. tamē eos, qui erāt perdi, perdidis, in eumq; locū deduxeris, ex quo ipsi iam sentiunt se numquam exituros. MASIENSIBVS IVRE BELLI ADEMPTA REDDITVR OS VOS POLLICEMINI. Nihil disputo de iure belli: magis facilis disputatio est, quam necessaria, illud tamen animaduerite, P. C. quam si huic reipub. natus hostis Antonius, qui tantopere eam ciuitatem oderit, quam scit huic reipublica ſemper fuiffe amicissimam. NEMINEM POMPEIANVM, QUI VIVAT, TENERE LEGE HIRCIA DIGNITATES. * Quisquā iam legis Hircia mentionem facit? cuius non minus arbitror latorem ipsum, quam eos,

de quibus lata est, p̄cūnit̄? omnino quidem mea sententia legem illam appellare fas non est: & ut sit lex, non debemus illam Hircij legem putare. APVLLEIANA PERCVNIA BRVTVM SVBORNASTIS. Quid si omnibus suis copijs excellentem uirum respub. armasset, quem tandem bonum p̄cūniteret? nec enim sine pecunia exercitum alere, nec sine exercitu fratrem tuum capere potuisset, SECVRI PERCVSSOS PAETVM, ET MENEDEMVM CIVITATE DONATOS, ET HOSPITES CAESARIS, LAVDASTIS. Non laudauimus, quod ne audiuimus quidem. ualde enim nebis in tanta perturbatione re:pu. de duobus nequissimis Graculis cogitandum fuit. THEOPOMPVM NVDVM EXPVLSVM A TREBONIO CONFVGERE ALEXANDRIAM NEGLEXISTIS. Magnum crimen senatus de Theopompo summo homine negleximus: qui ubi terrarum sit, quid agat, uiuat d. nique, an mortuus sit, quis aut scit, aut curat? SER. GALBAM EODEM PVGIONE SVCCINCTVM IN CASTRIS VIDETIS. Nibil tibi de Galba respondere fortissimo, & constantissima ciue: coram aderit, praesens tibi ipse, & ille quem insimulas, pugio respondebit.

MILITES AVT MEOS, AVT VETERANOS CONTRAXISTIS, TAM QVAM AD EXITIVM EORVM, QVI CAESAREM OCCIDERANT: ET EOSDEM NEC OPINANTES AD QVAESTORIS SVI, AVT IMPERATORIS, AVT COMMILITONVM SVORVM PERICULA IMPVLISTIS. Scilicet uerba dedimus, decepimus: ignorabat legio Martia, quarta: nesciebant veterani, quid ageretur, non illi senatus auctoritatem, aut libertatem populi

populi Romani sequebantur: Cæsar is ulcisci mortem uolebant, quam omnes fatalem fuisse arbitrabantur: te uidelicet saluum, beatum, florem esse cupiebant. O miser cum re, tum hoc ipso, quod non sentis, quam miser sis! Sed maximum crimen audite. DENIQUE QVID NON AVT PROBAVISTIS, AVT FECISTIS QVID FACIAT, SI REVIVISCAT? *Qui credo enim affret aliquid scelerati hominis exemplum Cn. POMPHEIUS IPSE.* Onos turpes si quidem Cn. Pompeium imitaturi sumus! AVT FILIUS EIVS, SI DOMI POSSIT. Poteris mihi crede: nam paucis diebus & in domum, & in hortos paternos immigrabit. POSTREMO NEGATIS PACEM POSSE FIERI, NISI AVT EMISERO BRVTVM, AVT FRVMENTO IVVERO. *Alij istud negant: ego uero, ne, si ista quidem feceris, umquam tecum pacem huic ciuitati futuram puto.* QVID? HOC PLACETNE VETERANIS ISTIS? QVIEVS ADHYC OMNIA INTEGRA SVNT. Nibil uidi tam integrum, quam ut oppugnare imperatorem incipient, quem tanto studio, consensuq; defenderint. QVONIAM VOS ASSENTATIONIBVS, ET VENENATIS MVRIRVS VENISTIS. Depravati aut corrupti sunt, quibus persicatum sit, fædissimum hostem iustissimo bello persequi? AT MILITIBVS INCLVIS OPERM FERTIS. NIHIL MOROR EOS SALVOS ESSE, ET IRE QVO LIBET: SI TANTVMmodo PATIVNTVR PERIRE EVM QVI MERVIT *Quam benigne!** deniq: usi liberalitate Antonij milites imperatorem reliquerunt, & se ad hostem metu perterriti contulerunt: per quos si non

stetisset, non Dolabella prius imperatori suo, quam Antonius etiam collega parentasset. CONCORDIAE FACTAM ESSE MENTIONEM SCRIBITIS IN SENATV: ET LEGATOS ESSE CONSULAREIS QVINQUE. DIFFICILE EST CREDERE, EOS, QVI ME PRÆCIPITEM EGERINT, AEQVISSIMAS CONDICIONES FERENTEM, ET TAMEN EX HIS ALIQVID REMITTERE COGITANTEM, PVTARE ALIQVID MODERATE, AVT HVMANE ESSE FACTVROS. VIX ETIAM VERISIMILE EST, QVID IUDICÄVERINT DOLABELLAM HOSTEM OB RECTISSIMVM FACINVS EOSDEM NOBIS PARCERE POSSE, IDEM SENTIENTIBVS. Parum ne uidetur omnium facinorum sibi cum Dolabilla societatem initam confiteri? nonne cernitis ex uno fonte omnia scelera manare? ipse deniq; fatetur, hoc quidem satis acute, non posse eos, qui hostem Dolabellam iudicauerint ob relictum facinus (ita enim uidetur Antonio) sibi parcere, idem sentienti. Quid huic facias, qui hac litteris, memoriaque mandarit, ita sibi conuenisse cum Dolabella, ut ille Trebonium, &, si possit etiam Brutum, Cassum instrucatos necaret, eademq; imbibet supplicia nobis? Conseruandus cuiuscum tam pio, iustoq; fædere. Is etiam queritur condicione suas repudiatas, aquas quidem, & uerecundas: ut haberet Galliam ultimam, aptissimam ad bellum renouandum, instruendumq; prouinciam: ut Alaudæ in tercia decuria iudicarent, id est, ut perfugium scelerum esset cum turpissimis reipub. fôrdibus: ut asta sua rata essent, cuius nullum remanet consulatus uestigium. canebat etiam L.

Anto

PHILIPPICA XIII.

501

Antonio, qui fuerat &quissimus agri priuati, & publici
decempedator, Nucula, & Lentone collega. QVAM-
OBREM VOS POTIVS ANIMADVERTITE,
VTRVM SIT ELEGANTIVS, ET PARTI-
BVS UTILIVS, TREBONII MORTEM PER- P. B.
SEQUI, AN CAESARIS: ET VTRVM SIT
AEQVIVS, CONCVRRERE NOS, QVO FA-
CILIUS REVIVISCAT POMPEIANORVM
CAVSSAS TOTIES IVGVLATA; AN CON-
SENTIRE, NE LVDIBRIO SIMVS INIMI-
CIS. Si esset iugulata, numquam exsureret: quod tibi,
tuisq; contingat. VTRVM, inquit, ELEGANTIVS.
atqui hoc bello de elegantia queritur. ET PARTIBVS
UTILIVS. partes furiose dicuntur in foro, in curia. bel-
lum contra patriam nefarium suscepisti: oppugnas Muti-
nam: circumfedes C. O. S. designatum: bellum contra te duo
C. O. S. gerunt, cumq; his propr. Caesar: cuncta contra te
Italia armata est: istas tu partes potius, quam a populo Ro-
mano defctionem uocas? Potiusne Trebonij morte, quam
Caesaris persequamur? Trebonij satis persecuti sumus, ho-
ste indicato Dolabella. Caesaris mors facilime defenditur
oblivione, & silentio. Sed uidete. quid molitatur, cum mortem
Caesaris ulciscendam putat, mortem proponit non iis so-
lum, qui illam rem gesserunt, sed iis etiam, qui non moleste
tulerunt. QVIBVS VTRI NOSTRVM CECI-
DERINT, LVCRO FVTVRVM EST. QVOD
SPECTACULVM ADHVC IPSA FOR-
TVNA VITAVT. NE VIDERET VNIVS
CORPORIS DVAS ACIES, LANISTA CI-
CERONE, DIMICANTES: QVI VSQVE
EO FELIX EST, UT EISDEM ORNAMEN-

III 3 TIS

TIS DECEPERIT VOS, QVIBVS DÉCÉ-

P.256. PTVM CAESAREM GLORIATVS EST.

Pergit in mea maledicta: quasi uero ei pulcherrime priora processerint, quem ego iniustum uerissimi maledictorum notis tradam hominum memoria sempiterna. Ego lanista? Et quidem non inspiens. deteriores enim singulari cupio, meliores uincere. Vt si ceciderint, scribit, lucro nobis futurum. O præclarum. lucrum, quo te uictore (quod dij omen auertant) beata mors eorum futura sit, qui e uita excesserint sine tormentis. A me deceptos ait eisdem ornamentis Hircium, & Cæsarem. Quod quæso adhuc à me est tributum Hircio ornamentum? Nam Casari plura, & maiora debentur. Deceptum autem patrem à me Casarem dicere audes? tu, tu, inquam, illum occidiſli Luper-calibus: cuius, homo ingratissime, flaminium cur reliquisti? Sed iam uidete magni, & clari uiri admirabilem grauitatem, atque constantiam. MIHI QY IDEM CONSTAT, NEC MEAM QVIDEM CONTUMELIAM, NEC MEORVM FERRE: NEC DESERERE PATRIS, QVAS POMPEIUS ODIVIT, NEC VETERANOS SEDIBVS SVIS MOVERI PATI, NEC SINGULOS AD CRUCIATVM TRAHÌ, NEC FALLERE FIDEM, QVAM DEDI DOLABELLÆ. Omitto alia: fidem Dolabellæ sanctissimi uiri deserere homo pius non potest. quam fidem? an optimi cuiusque cœdis; urbis & Italiae partitionis suis dandarum, diripiendarumque prouinciarum? Am quid erat aliud, quod inter Antonium, & Dolabellam impurissimos paricidas fædere, ac fide sanciretur? NEC LEPIIDI SOCIETATEM VIO-LARE PISSIMI HOMINIS. Tibi cum Le-

pido

più societas? aut cum illo, non dicam bono cine, sicut ille P. B.
est, sed homine sano? Id agis, ut Lepidum aut impium,
aut insanum existimari uelis. Nihil agis. quamquam af-
firmare de altero difficile est, de Lepido præsertim, quem
ego metuam numquam, bene sperabo, dum licebit. Re-
nucare te a furore Lepidus uoluit, non adiutor esse de-
mentiae. tu porro ne piros quidem, sed püssimos quaris: &
quod uerbum omnino nullum in lingua Latina est, id
propter tuam diuinam pietatem nouum inducis. NEC

PLANCVM PRODERE, PARTICIPEM
CONSILIORVM. Plancum participem? cuius me-
morabilis, ac diuina uirtus lucem affert reipublicæ. nisi
forte subsidio tibi uenire arbitraris cum fortissimis le-
gionibus, magno equitatu, peditatuque Gallorum: qui que,
nisi ante aduentum eius reipublicæ pœnas dederis, ille* hu-
ius belli feret principatum. Quamquam enim prima præ-
sidia utiliora reipublicæ sint, tamen extrema sunt gra-
tiora. Sed iam se colligit, & ad extrellum incipit philo-
sophari. SI ME RECTIS SENSIBVS ÈVNTEM
DII IMMORTALES, VT SPERO, ADIV-
VERINT, VIVAM LIBENTER: SIN AV-
TEM ALIVD ME FATUM MANET, PRAE-
CIPIO GAUDIA SVPPPLICIORVM VE-
STRORVM. NAM, SI VICTI POMPEIANI
TAM INSOLENTES SVNT, VICTORES
QUALES FUTURI SINT, VOS POTIVS
EXPERIEMINI. Præcipias licet gaudia: non enim ti-
bi cum Pompeianis, sed cum uniuersa republica bellum
est, omnes te dij, homines, summi, medi, infimi ciues, p. 257.
peregrini, uiri, mulieres, liberi, servi oderunt, sensimus

hoc nuper falso nuntio, uero propediem sentiemus. quæ si tecum ipse recolis, æquiore animo, & maiore consolatione moriere. DENIQVE SVMMA IUDICII
MEI SPECTAT HVC, VT MEORVM IN-
IVRIAS FERRE POSSIM, SI AVT OBLI-
VISCIVELINT IPSI FECISSE, AVT YL-
CISCIPARATI SINT VNA NOBISCVM
CAESARIS MORTEM. Hac Antonij sententia co-
gnita, dubitatuosne A. Hiricum, C. Pansa consules pu-
tatis, quin ad Antonium transeat? Brutum obsideant?
Mutinam expugnare cupiant? Quid de Pansa, & Hircio
loquar? Cæsar singulari pietate adolescens poterit se
tenere, quin D. Brutus sanguine penas patrias persequa-
tur? Itaque fecerunt, uti, his litteris lectis, ad munitiones propius accederent. Quo maior adolescens Cæsar,
maioreque deorum immortalium beneficio reipublicæ na-
tus est, qui nulla specie paterni nominis, nec pietate addu-
ctus umquam est. intelligit maximam pietatem conser-
uatione patriæ contineri. Quod si partium certamen es-
set, quarum omnino nomen extinctum est. Antonius ne po-
tius, & Ventiidius partes Cæsaris defendenter, quam pri-
mum Cæsar adolescens summa pietate, & memoria pare-
tio sui? deinde Pansa, & Hircius, qui quasi cornua duo te-
nuerunt Cæsaris tum, cum illæ uere partes uocabantur?
hæ uero quæ sunt partes, cum alteris senatus auctoritas,
populi Romani liberæs, reipub. salus proposita sit: alteris
cædes bonorum, urbis Italiaeque partitio? Veniamus ali-
quando ad clausulam.

LEGATOS VENIRE NON

P. B. CREDO. Bene me novit. BELLVM QVO VENIAT.
Proposito præsertim exemplo Dolabellæ sanctiores erunt,
credo

credo, iure legati, quam duo consules, contra quos arma fert:
 quam Caesar cuius patrio flamen est: quam COS. designa-
 tus, quem oppugnat: quam Mutina, quam obsidet: quam pa-
 tria, cui ignem, ferrumque minitatur. CVM VENE-
 RINT, QVAE POSTVLENT COGNOSCAM.
 Quin tu abis in malam pestem, malumq; cruciatum, ad te
 quisquam ueniat, nisi Ventidij similis? oriens incendium
 qui restringuerent, summos uiros misimus: repudiaisti: nūc
 in tantam flammat, tamque inueteratam mittamus, cum
 locum tibi reliquum nō modo ad pacem, sed ne ad deditio-
 nem quidem feceris? Hanc ego epistolam, P.C. non quo il-
 lum dignum putarem, recitauis: sed, ut confessionibus ipsius
 omnia patefacta eius paricia uideretis. Cum hoc pacem
 M. Lepidus uiri ornatus omnibus & uirtutis, & for-
 tunae bonis, si hæc uideret, denique aut uellet, aut fieri posse
 arbitraretur: prius cum undis flamma (ut ait poeta nescio
 quis) prius deniq; omnia, quā aut cum Antonius respub.
 aut cum republica Antonij redeant in gratiam. Monstra
 quædam sunt ista, & portenta, & prodigia reipub. moue-
 ri sedibus suis huic urbi melius est, atq; in alias si fieri pos-
 sit, terras demigrare, unde Antoniorum nec facta, nec no-
 men audiat, quam illos Casaris uirtute electos, Brutii reten-
 tos, intra hæc mœnia uidere. Optatissimum est uincere: se-
 cundū est, nullum casum pro dignitate, & libertate patriæ
 non ferendum putare. quod reliquum est, non est tertium
 sed postremum omnium, maximam turpitudinem suscipe-
 re uita cupiditate, Quæ cum ita sint, de mādatis, litterisq;
 M. Lepidi uiri clarissimi, Seruilio assentior: & hoc am-
 plius censeo, Magnū Pompeiū Cn. F. pro patris, maiorisque
 suorum animo, studio in remp. suaq; pristina uirtute, in-
 III. 5. duscria,
P. 2. 58.

dustria, uoluntate, fecisse, quod suam, eorumq; quos secum haberet, operam senatui, populoq; Ro. pollicitus esset, eamque rem senatui, populoq; Rom. gratiam, acceptamq; esse eiq; honori, dignitatique eam rem fore. Hoc uel coniungi cum hoc senatus consulo licet, uel sciugi potest, seperatimque perscribi, ut proprio senatus consulo Pompeius collaudatus esse uideatur.



P.B. IN M. ANTONIVM
PHILIPPICA XIII.

ORATIO LVI.

Si, ut ex litteris, qua recitatæ sunt, P.C. sceleratissimorum hostium exercitum casum, fuisse cognoui, sic id, quod & omnes maxime optamus, & ex ea uictoria, qua parta est, consecutum arbitramur, D. Brutum egressum iam Mutina esse cognouisse: propter cuius periculum ad sagassemus, propter eiusdem salutem redeundum ad pristinum uestitum sine ulla dubitatione censerem. Ante uero quam sit ea res, qua uidissime ciuitas expectat, allata, latitia usus sat is est maximæ, præclarissimeq; pugna: redditum ad uestitum confessæ uictoria reservare. confessio autem huius belli est D. Brutii salus. Quæ autem est ista sententia, ut in hodiernū diem uestitus mutetur, deinde cras sagati prodeamus? Nos uero cum semel ad eum, quem cupimus, optamusque, uestitum redierimus, id agamus, ut cum in perpetuum rei- neamus.